

Monachus A

Nimis dolendum est, si ad tam ruinosam superbiam monachos subrigimus et tam gravi contumelia clericos dignos putamus, ut scilicet dicatur quod malus monachus bonus clericus est, cum aliquando bonus eciam monachus vix bonum clericum faciat.

Augustinus ad Aurelianus.

Monachus B

O monache! Qui stas corpore, stat anima tua et non psallis Deo; maledictus homo qui facit opus Dei negligenter. Si psalterium es, si cithara es, quare surdus es et non glorificans Deum?

Hieronymus super Psalmos.

Monachus C

Sicut martyres laudant Deum pure in regione vivorum, ita et monachi qui die ac nocte psallunt Deo, debent eandem puritatem habere martyrum, siquidem ipsi martyres sunt. Quod enim faciunt angeli in celis, hoc monachi faciunt in terris.

Hieronymus super Psalmos.

Monachus D

Si cupis esse quod diceris monachus, id est solus, quid facis in urbibus, que utique non sunt solorum habitacula sed multorum?

Hieronymus in epistola.

Monachus E

Summe stulticie est renunciare seculo, dimittere patriam, urbes deserere et monachum profiteri et inter maiores populos vivere peregre, quam erat victurus in patria.

Hieronymus ibidem.

Monachus F

Quid tibi ea videre necesse est, quorum contemptu monachus esse cepisti, quem censeris tibi aut semper aut crebro de minimis loquentem, excepta elemosyna que differenter omnibus patet, institutorem potius habeto quam monachum? Prima vitus monachi est contemnere hominum iudicia et semper apostoli recordari dicentis: Si hominibus placerem, Christi servus non essem.

Hieronymus in epistola ad Panmachium.

Monachus G

Tu, si monachus esse vis, non videri habeto curam, non re familiaris cui renunciando hoc esse cepisti, sed anime tue. Monachum non loquendo et discurrendo sed tacendo et sedendo quisque noverit, monachus non doctoris sed plangentis habet officium, qui vel se vel mundum lugeat et Domini pavidus prestoletur adventum. Flos quidem et preciosus lapis inter ecclesiastica ornamenta monachorum et virginum chorus est.

Hieronymus ad Rusticum.

Monachus H

Constat monachum in sua patria perfectum esse non posse.

Hieronymus ad Heliodorum.

Monachus I

Quid facit monachus in cellis feminarum? Quid sibi volunt pravata et sola colloquia et arbitros fugientes oculi? Sanctus amor impacienciam non habet.

Ibidem.

Monachus K

Quanti monachi dum patri matrique miserentur suas animas perdiderunt.

Hieronymus in epistola.

Monachus L

Laudatur iure monachus qui veneracioni habet sacerdotes et non detrahit gradui per quem factus est christianus.

Hieronymus ad Paulinum.

Monachus M

Egyptiorum monasteria hunc morem tenent ut nullum absque opere labore et suscipiant, non tam propter victus necessaria quam propter anime salutem, ne vagetur perniciosis cogitacionibus.

Hieronymus in epistola ad Rusticum monachum.

Monachus N

Magna abusio et maxima cura est ut corpus regulariter induatur et contra regulam suis vestibus anima nuda deseratur, cum tanto studio tunica et cuculla corpori procurentur, quatenus cui deerunt, monachus non putetur, cur similiter pietas et humilitas spiritui que profecto spiritualia indumenta sunt non providentur.

Bernardus in apologetico.

Monachus O

Habitus noster quod et dolens dico: Qui humilitatis solet esse insigne a monachis nostri temporis gestatur superbe. Vix iam est nostris provinciis invenimus quo vestiri dignemur. Miles et monachus ex eodem panno parciuntur sibi cucullam et clamidem.

Ibidem.

Monachus P

Labor et latebre et voluntaria paupertas hec sunt monachorum insignia, hec vitam solet nobilitate monasticam, nostri autem oculi omne sublime vident, nostri pedes omne forum circumeunt nostre lingue in omnibus audiuntur consiliis, nostre manus omne diripiunt patrimonium.

Bernardus in quadam epistola.

Monachus Q

Certus sum ego monachus et monachorum qualiscumque abbas, si mei quandoque pontificis a propriis cervicibus excutere iugum tentavero, quod Satane mox tyrannidi me subiicio.

Bernardus in epistola.

Monachus R

Super fratrum transgressionem, non super patrum traditiones constituitur, qui abbas eligitur, mandatorum cultor et viciorum ultor.

Bernardus de preceptis et dispensacione.

Monachus S

Monachus singularis est, qui ad bona propria est strenuus, ad bona communia piger, in lecto vigilat et in choro dormit.

Bernardus in epistola.

Monachus T

Legumina inquit ventosa sunt, caseus stomachum gravat, lac capiti nocet potum aque non sustinet pectus, caules nutriunt melanconiam, coleram porci accendunt, pisces de stagno aut de lutuosa aqua mee penitus complexioni non congruunt, quale est hoc: ut in omnibus fluviis, agris, ortis, cellariis reperiri vix possit quod comedas? Puta te queso monachum esse, non medicum, nec de complexione iudicandum, sed de professione. Parce obsecro primum quieti tue, parce deinde labori ministrantium, parce gravamini domus, parce consciencie; consciencie non dico tue sed alterius, scilicet qui prope te sedit et edens de tua singularitate murmurat et de tua supersticione scandalizatur.

Bernardus super Cantica sermone 30.

Monachus U

Qui monachum profiteris, qui crucifixus es, qui debes lugere rides, dic michi ubi Christus hoc fecit, audisti hoc alicubi? Nusquam sed contristatum sepius legisti.

Chrysostomus super epistola ad Hebreos.

Monachus X

Summa monachi virtus humilitas, summum vicium eius superbia est.

Isidorus de summo bono libro 1.

Monachus Y

Tunc autem se monachum quisque iudicet, quando se minimum estimaverit, eciam cum maiora virtutum opera gesserit.

Isidorus ibidem.

Monachus Z

Multi monachorum amore parentum non solum terrenis curis, sed eciam forensibus iurgiis involuti sunt et pro suorum temporali salute suas animas perdiderunt.

Ibidem.

Monachus AB

Monachum cupientem ad scripturarum noticiam pertingere, nequaquam debet labores suos erga commentariorum libros impendere, sed omnem industriam mentis et intencionem cordis erga emendacionem viciorum carnalium detinere, quibus expulsis cordis oculo sublato velamine passionum scripturarum sacramenta contempletur.

Iohannes Cassianus in collacionibus patrum.

Monachus AC

Ita, inquit Macarius, debere monachum ieiuniis operam dare, ut centum annis in corpore commoraturum, ita motus animi refrenare et iniuriarum oblivisci iusticiasque respuere, dolores quoque ac detrimenta contemnere tamquam quotidie moriturum.

Iohannes Cassianus libro 5.

Monachus AD

Hec apud Egyptum est ab antiquis patribus sancta sententia: Operantem monachum demone uno pulsari, ociosum vero in numeris spiritibus devastari.

Ibidem.

Monachus AE

Monachi sibi claustra faciunt, quibus homo exterior teneri possit, sed utinam claustra facerent quibus homo interior ordinate teneretur.

Hugo de claustro anime libro 1.

Monachus AF

In choro sum corpore et aliquo negotio mente, nunc intus maneo, nunc foris exeo aliud canto et aliud cogito, psalmodie verba profero, et psalmodie sensum non attendo, sed mente vagus habitu dissolutus oculis attonitus huc et illuc prospiciens, quecumque ibi geruntur perlustro et perspicio, habitum monachi non conversacionem habens in magna corona et ampla cuculla salva michi omnia existimo.

Hugo de anima libro 1.

Monachus AG

Ordo claustrum et ordo curie divisus est. Ibi sedes in insidiis cum divicibus in occultis, ut interficias innocentem, hic audis cum non sedi consilio vanitatis et cum iniqua gerentibus non introibo. Ibi insidiaris ut rapias pauperem, rapere pavidum attrahis eum, hic dicis: Odivi ecclesiam malignancium et cum impiis non sedebo. Ibi dextera tua repleta est muneribus, hic lavas inter innocentes manus tuas. Ibi laudatur peccator in desideriis anime sue et iniquus benedicitur, hic benedicitur Deus. Si vis esse monachus curialis, laudas quod non debes, defendis quod non expedit, operaris quod non licet, loqueris quod non decet.

Hugo de duodecim abusibus.

Monachus AH

Si monachus es, quid facis in turba? Si amas silentium, cur declamantibus assidue interesse delectas? Tu semper ieiuniis et fletibus insistere debes, et tu philosophari queris. Simplicitas monachi philosophia eius est. Sed docere inquis alios volo, non est tuum docere sed plangere. Si tamen doctor esse desideras, audis quid facis, vilitas habitus tui et simplicitas vultus innocencia vite et sanctitas conversacionis tue docere habent homines.

Hugo de claustrum anime libro 5.

Monachus AI

Solitaria sane vita celestis doctrine schola est, ac divinarum artium disciplina

Petrus Raveniensis.